SCHEDIASMA IN QUO GENERALITER DE LUSITANICIS REBUS SIT FERMO; SPECIATIM VERÒ...

Girolamo Giordano

274.19

123

SCHEDIASMA

In quo generaliter de Luſitanicis rebus fit ſermo;

Speciatim verò

C A M A L Æ

Urbis, ſitus, creatio, atque etymologia inveſtigantur.

EXCELLENTISSIMO VIRO

D. BERNARDO TANUSIO

A B

U. J. D. D. HIERONYMO JORDANO

Patritio Lucerino

D I C A T U M.

N E A P O L I MDCCLII.

Ex Typographia Johannis de Simone

SUPERIORUM FACULTATE.

⁂ III ⁂

EXCELLENTISSIMO VIRO

MARCHIONI

D. BERNARDO TANUSIO

CAROLI REGIS OPTIMI MAXIMI

A SECRETIS

ANTIQUORUM MONUMENTORUM ŒDIPO

ET SCIENTIARUM PENE OMNIUM

ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ ΕΜΨΥΧΩ

S. P. D.

HIERONYMUS JORDANUS.

NIMIRUM conſideranti mihi, Excellentiſſime Vir, cuinam χιδίαςμα hoc decentius ſiſterem, ea poſtremum ſuccurrit deliberatio, ut inter tot Summorum Virorum nomina, quot Auguſtiſſima hæc Urbs alit & miratur, tuum tantum ad hoc munus deligerem; idque ex eo potiſſimum capite, quod ea ſit peculiaris animi tui inſtitutio, ut quamvis magnis rebus ſis natus, majoribus innutritus, maximis quotidie implicatus, *cum tot ſuſtineas ac tanta negotia ſolus* (1);

A 2 mi-

(1) Horatius lib. 2. ep. 1. v. 2.

minora tamen non deſpicias, quin & pari ſemper φιλανθρωπίᾳ ſuſcipias. Eſt quippe & *in tenui labor* (2) *at tenuis non gloria*, ut Maronis (3) verba uſurpem, non quod ego is ſim, qui laureolam in muſtaceo quæram, ſed ut tandem aliquando *quæſitam meritis ſumam ſuperbiam*, & hoc quantulumcunque demum munuſculum ſpeciminis loco Tibi ſit, unde arguas, me inter Reipublicæ hujus candidatos gradu cenſendum ſaltem non poſtremo, majora ſane confidenter auſurum, ſi Te mihi præſtiteris Mæcenatem.

Acceſſit itaque nuper a F. D. Alphonſo Candida Hieroſolymitanæ Religionis Equite Commendatario, meoque cive compatritio, ornatiſſimo Viro & egregie cordato, humaniſſimas ad me literas, eiſque adnexum Luſitani cujuſdam marmoris, remotam certe antiquitatem redolentis, epigramma adeo ſcabra rubigine exeſum, ut nec ad illud Olympici ſcuti [cujus γράμματα ἐπὶ βραχὺ, διὰ τὸ τῷ ἀναθήματος ἀρχαῖον contracta vidit (4) Pauſanias] nec ad Archimedeæ ſepulcralis columellæ alterum [cujus poſteriores verſiculorum partes fere dimidiatas cum Syracuſanis querebatur olim Cicero (5)] nec cum aliis lite-

(2) Cum ἐν μικρῷ περὶ σε ἐν μεγάλῳ μὴ ἀγνοῶν juxta Senecaeum cap. V ♆ 28. [illegible]

(3) Virgil. Georg IV ♆ 6. & quid velit quoniam Philonis verba [illegible] pag. 503 D K. 10 hanc ſententiam prolixe ut tradam? [illegible]

(4) Pauſanias [illegible] pag. 378. ♆ 51—52.

(5) Cicero Tuſculan V § 64. 65. 66. ubi de Archimedis Sepulcro ad Agrigentinas Syracuſarum portas poſito, a Syracuſanis ipſis ignorato, & inter dumeta delitescente, a Cicerone primùm indicato, loco ſalcibus purgato aperto, que &c.

Digitized by Google

literatis monumentis, quæ injuriâ temporum vixdum ſuperſunt, auſim æquiparare. Sed & ævi edacitati addas licet inpoliti forſan marmoris aſperitatem, Barbarorumque populorum in Latinis literis imperitiam & παραγραμματισμὸς; unde & Arrianus (δ) Trapezuntinum epigramma, διὰ τοῦτο ἐκ Σ......... καὶ ἡμαρτημένως, οἷα δὴ ὑπὸ βαρβάρων γραφὲν politiori lapide & accuratiori forma denuo inſculpendum cenſuit. At en Luſitani marmoris typum maximis literis effictum

IOVI
OPTVMO
MAXVMO
VICANI
CAMALO
C......IN
....
....

notulaſque item nonnullas ad ejuſdem epigrammatis calcem accepi adjectas, quibus doceor, marmor illud propter Cratum Luſitaniæ Urbem e colle quodam, qui e *Xocamal* ampliſſima planicie eminet, effoſſum. Sed mirari non parum ſubit de eo, quod ab illarum auctore poſtremum adicitur, Luſitanos nempe Philarchæologos ultra τῆ Jovi Optumo Maxumo intelligentiam non eſſe progreſſos. Quod μὴ καὶ πάνυ γελοῖον ᾖ, cum Vicani quoque nominis vim addiſcere potuerint, vel è ſolis Lexicographis [penes quos Ciceronis & Livii aliquot loca laudantur, ad hoc ut Vicani habendi ſint ii, qui ruſticos

 vi-

(δ) Arrianus in periplo Ponti Euxini, pag. [illegible], inter geographos Græcos minores a Dodwello editos,

vicos incolunt ſeu per vicos vagantur] vel ſi minus obvia adridebant, è τῶ πάνυ Scaligero (7), qui Sexti Pompei Feſti libros caſtigans, VICANOS Vicimagiſtros fuiſſe putat, ab Auguſto inſtitutos, quorum munus erat, Compitalitios ludos prætextâ indutos aguare, vicoſque ſibi creditos ab incendio, rixa, ſeditione ſartos tectos tueri, ut apud Suetonium (8), Asconium (9), Feſtum (10), aliosque teſtatum reperimus. quorumque Vicomagiſtrorum numerum in qualibet Utriuſque Romæ regione a P. Victore (11) notatum habemus, unde lux adſulgeat tam Juſtinianæi Codicis Lib. XI. tit. 56. unicæ legi Zenonianæ, quàm Novellis 52. & 134., in quibus *Vicanorum* & *Vicanorum Judicum*, veluti *loci ſervatorum* in qualibet Civitate mentio legitur inſtituta. Sed hæc *ſunt apinæ tricæque & ſi quid vilius iſtis* (12).

Jovis τῶ OPTUMI MAXUMI cognomina nimium nos morari non debent, ne a Briſſonio (13) actum agamus, hoc nihilominus adnotaſſe contenti, cognomina nempe illa [quibus, ut Ciceronis (14) verbis rem venuſtè conficiamus, Jupiter *prius* OPTIMUS *idest beneficentiſſimus*, *quàm* MAXIMUS audiebat, *cum majus ſit* (15) *certeque gratius prodeſſe omnibus, quam opes maximas habere*] prout

& alia

(7) Jos. Scal. per [illegible] *ad Feſtum* pag. CXXXII & CLXVII.
(8) Suetonius *in Auguſt.* cap. 31 & *in Tiberio* cap. 76 ubi inter Principis illius legatarios nominat [illegible] *Vicomagiſtros*.
(9) Asconius *in Piſonianam Orat.* cap. 4.
(10) Feſtus *in Vici* pag. 475. V. 15. ex edit. Gothofredi, aliàs pag. CCCII. edit. Scalig.
(11) P. Victor *de regione Urbis Rom.* pag. 141 — 166. cui [illegible] Pomponius Lætus [illegible] opere. Ceterum Victoris libello Alciatus opuſculum aliud ſimilis argumenti adcerunt, Urbis nempe Conſtantinopolitanæ deſcriptionem, incerto Auctore, in quo, ad inſtar Romæ veteris, alius Vicomagiſtrorum numerus in totidem Novæ illius Romæ regionibus recitatur. Edit. Baſil. ann. 1552.
(12) Martialis *Apophor.* epigr. 1 V. 7.
(13) Briſſonius *de formulis* lib. 1. cap. 77 ex Cicerone, Livio, Plinio, Xiphilino, Lactantio, Donato &c.
(14) Cicero *de Nat. Deor.* lib. 2 § 64.
(15) Vide quæ habet in hanc ſententiam Voſſius Pater *de Philoſoph. ſecta* cap. 21 § 22. pag. 113.

& alia divinitatis argumenta & Imperatoribus (16) & Regibus, quibus nihil ſub ſole magnificentius, nihil ſublimius, nihil divinius (17), pari ratione tributa.

Quod verò erudito Orbi ſalivam movet, id demum mutilati illius CAMALOC.....interpretationem reſpicit. Hoc in mandatis præcipuè mihi datum quibus libentiſſimè obſequutus, inſcriptionem omnem ſic integritati ſuæ reſtituendam cenſeo.

IOVI
OPTVMO
MAXVMO
VICANI
CAMALO
CEI IN
PENSIS
SVIS P.

vel

CAMALO
CEI IN
TERRANI
ENSES P.

A 4 Fa-

(16) Exempla ſine numero ſunt apud Hub. Goltzium *in theſaur. rei antiqu.* pag. 49—87 in Trajano, Hadriano, Antonino Pio, M. Aur. Antonino, Commodo, Severo, Antonino Britannico, Pupieno, Gordiano, Claudio, Aureliano, Maximiano, Conſtancio, Conſtantino, Valente, Gratiano, Juſtino & apud Briſſonium *de* [illegible] quibus addi Appianum [illegible] pag. 88. Græc. Edit. Lutetiæ 1551. ubi dicuntur milites proclamaſſe Seleucum Nicatorem βασιλέα [illegible] Ἀλέξανδρον μεγίστη [illegible] & alia plura, quæ ex Digeſtis, & Codicibus congeſſit in *Lexico juris* Calvinus verbo *Maximum*, & *Optimus* pag. 569. & 635. ¶ Imo & Agrippina Optima Mater olim audivit Tacito *annal.* XIII 2.

(17) Stobæus [illegible] Serm. 45. & ad pag. 324. ꝟ 2. &c. & 331 ꝟ 4. &c. ubi ex Ecphanta Pythagorico recitatur [illegible] [illegible] &c. Hinc vulgatum illud Homeri, Heſiodi, aliorumque Græcorum verbum ἐκ Διὸς βασιλῆες. Quod & in Sacris Bibliis a Grotio notatum ad Proverb. VIII. ꝟ 15 16. Sirach VI. ꝟ 33 52. 63. Atque hinc apud Juvenalem Sat. IV. ꝟ. 71 Imperatoria Majeſtas *Diis æqua poteſtas* audit. ¶ Habes [illegible] ſuſtinuit quidquid [illegible], ait Curtius *De Nat. Deor.* I § 45.

149

Fateor quidem me pro detriti illius CAMALOC... intelligentia diu multumque ſudaſſe, Ortelium, Cluverium, Ferrarium, Martinerium, poſt Strabonem, Plinium, Ptolemæum, utriuſque Imperii notitiam, ceteroſque quà veteres quà recentiores Geographicæ rei Scriptores, laborem omnem me fruſtratum impensè conſuluiſſe; donec divinando potius quam conſulto in Pſeudo-Antonini Itinerarium inciderim, ibique (18) Luſitanam Urbem CAMALAE nomine notatam, vigintiquatuor paſſuum millibus a Lacobriga ſeu Coymbra Gallæciam verſus remotam invenerim.

Lux inde non maligna, ſed prorſus certa mihi adfulſit; & quin *Vicani* illi *Camaloces* ſeu *Camalocenſes* ejuſdem Antoninianæ *Camalæ* cives fuerint, ipſa loci & nominis adfinitas, de qua inferius, dubitare non ſuſtinuit.

Porrò ſi in re tam obſcura, cui nec Antiſthenis lucerna lumen aliquod ſuffunderet, conjecturis uti liceat, nullus hæſitarem, *Camalam* urbem non Latinis, Græciſve, ſed Phœnicius mercatoribus λόγῳ, τὸ δ' ἀληθὲς piratis, originem primam debere, quippe quos, æque ac Iberos, Perſas, Celtas, alioſque quamplurimos mortalium antiquiſſimos [quorum fuit ἢ κατὰ λῃστείαν ἢ ἐμπορίαν, teſte Eratoſthene (19), longinquas ſuſcipere navigationes] in

(18) Itiner. Antonini pag. 64. edit. Lugdun. 1601.

(19) Ita Eratoſthenes Strabo lib. 1 pag. 81 V. 24—22. Phœnicum piraticam, & caliditatem noſtri Homerus Odyſſ. XV. V. 415—419 &c. & ſæpius notavit. Hoſtes [illegible] V. 446 &c. Hinc Phœnices φιλοχρηματίας notati apud Platonem de Rep. lib. IV. pag. 435 E. & notum illud φοίνικες ἐμπορικοί apud Strabonem lib. XVI pag. 523 V. 12. & [illegible] penes Scylacem in Periplo pag. 54. V. 2. 23. & pag. 55 V. 6. 7. Ælianum var. hiſt. lib. IV. cap. 20. Euſtathium Comm. ad Dionyſii [illegible] pag. 74. Edit. Genev. Lutet. 1547 [illegible] &c. Sed & Eratoſthenis teſtimonio adde illud ex Thucydide lib. I. cap. 4. 5 & & ad idem caput 5 V. 78 exempla Cilicum, Tyrrhenorum, Phœniſſorum, Sarmatum, Cimbrorum, Liburnorum, Ægyptiorum, & Hiſpanorum &c. per Clar. Hudſonium collecta.

in univerſam Hiſpaniam perveniſſe, nemine refragante, Ariſtoteles (20), ſeu quivis alius ſit *Θαυμασίων ἀκουσμάτων* Scriptor, Strabo (21), Diodorus (22), & ex M. Varrone & M. Agrippa Plinius (23), & Appianus (24) adfirmarunt: quorum (25) ſecundus nimis adpoſitè notat, quod cum Luſitani regionem beatam, frugum, pecudum, auri, argenti, aliorumque id genus copiâ abundantiſſimam ſortiti fuiſſent: cumque plerique eorum, omiſſo victûs e terra petendi ſtudio, egeſtate & improbitate coacti, tùm ſe ſe invicem, tum finitimos populos [ſcilicet hoc erat nationis ingenium, *ubi extraneus deſit, domi hoſtem quærere* (26)] prædatorum direptorumque more, latrociniis infeſtaſſent; hinc factum, ut Phœnices, Carthaginenſeſque captatâ occaſione inteſtinæ diſcordiæ, quâ tunc temporis Luſitani ἀλληλοκτονοῦντες maximè laborabant, piraticis claſſibus illos invaſerint, antiquos ex Urbibus colonos ejecerint, vicariaſque ſuorummet colonias ſuppoſuerint: indeque ortam credere par eſt cauſam, quamproper Græci, ac ſubinde pariter Romani (27) ἀλόγιστοι τὸ κρῖνε τῆς χρείας, Luſitanarum Urbium, gentiumque nomina, perpaucis exceptis, tanquam ἀτιμότερα judicarent, eademque

 pro-

(20) Ariſtoteles *lib.* [illegible] Tom. 2 Part. [illegible] pag. 1093 1094. 1103. 1104.

(21) Strabo lib. III pag. 109—101 & 106. 125. ibique Caſaubonus.

(22) Diodorus *Βιβλιοθ.* lib. V cap. 35—38. ibique Weſſelingius Tom. 1 pag. 358—360.

(23) Plinius *Nat. hiſt.* lib. 3 cap. 1. *O*[illegible] *eam Hiſpaniam univerſam* [illegible] [illegible] *M. Agrippa* [illegible] *In univerſam Hiſpaniam M. Varro perveniſſe Iberos, & Perſas, & Phœnices, Celtaſque, & Pœnos tradit* [illegible] *Luſum* [illegible] *Liberi patris, ac Lyſſam cum eo bacchantem nomen dediſſe Luſitaniæ, & Pana præfectum ejus univerſæ*.

(24) Appianus ἐν Ἰβηρικῇ *in princ.* ubi diſertis verbis hoc teſtatur.

(25) Strabo lib. III pag. 106 [illegible] & pag. 129 [illegible]

(26) Sunt verba Juſtini lib. 44. [illegible] (ut Strabonis ſententiam pag. 107 [illegible] de Auguſti & Tiberii ætate ad hoc usque uſurpemus) [illegible] [illegible] cum Hiſpanis [illegible] [illegible] Catholici hodie experiuntur Monarchæ, quicquid contra [illegible] Caſaubonus ad Strabonis loc. cit. pag. 58. [illegible] [illegible] Florus IV 12. 54 pag. 508.

(27) Sic de ſe profitetur Strabo cit. pag. 107 [illegible]

propterea (28) ad gentilitiæ linguæ genium ſæpe procuderent; nonnunquam μεταθετικῶς in vulgus efferrent; interdum etiam, novis vocibus in eorum locum ſuffectis, prorſus antiquarent.

His poſitis, Vir Ampliſſime, vides jam quam probabili ratione innitatur mea ſententia, quæ eò probabilior mihi credenda obiicitur, quò maturius & propius rem æſtimanti ipſe *Camalæ* ſonus neſcio quid Hebraico-Phœnicium (29) audire videatur.

Tria namque de Luſitanis a ſcriptoribus narrantur. I. regionem paludibus, exundationum causâ, adeo obſitam tenuiſſe (30), ut ad Bruti (31) uſque ætatem coriaceis uſi ſint navigiis. II. argenti aurique copiâ & qualitate (32) quibuſcunque aliis nationibus prælatos. III. potantes ad tibiæ buccinæque ſonitum ſaltare, & choreas ducere (33) moris habuiſſe.

Fieri igitur veriſimiliter potuit, *Vicanos* illos vel argenti aurique metalla peculiari quodam jure ſibi aſſumſiſſe, vel paluſtria loca inhabitaſſe, vel demum ſaltationes ad tibias ſolos, ſeu omnibus aliis præſtantius calluiſſe. Hoc ſi mihi des, *Camalæ* urbis etymologiam non incommodè eruerem I. ἀπὸ τοῦ חמר *Chamar*, quod turbidum, lutoſum, vel paluſtre ſignificat II. ab Arabico vocabu-

(28) Sunt hæc nomina tarta, & monſtra [illegible] apud Auctores Sacros, profanos, veteres, recentiores, barbaros, Græcos, Romanos &c. quæ [illegible] quidem [illegible] Jacobum [illegible] conferſ [illegible]

(29) Punica in Syria mere Hebraica, aut proxima linguâ uſa, in Africa depravari quidem ex Hebraiſmo, ſed [illegible] aliâ à Syriace, ex Punicis Plautina, [illegible] Scaliger pag. [illegible] &c. [illegible] Oper. de Emend. Temp. [illegible] & argumentum ex Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, Arnobio &c. ſubſequitur Tho. Reineſius *De Lingua Punica* [illegible] & cap. 7. [illegible] & 11. § 9. ubi de Scaligero.

(30) Strabo *in pag.* 107 [illegible]

(31) Brutus Luſitanorum ſubegit, [illegible] Florum [illegible] cap. [illegible] Curſim tribuit Plutarchus & Auguſto Strabo, et advertit Caſaubonus *ad Strabon.* pag. 58. [illegible]

(32) Strabo pag. 106 [illegible] 20—25. Conſentit Plinius *Nat. Hiſt.* lib. 33. cap. 4.

(33) Strabo pag. 107 [illegible] 11—13 item Diodorus [illegible] lib. V. cap. 34. itaque Weſſelingum pag. 317.

cabulo מאל *Malon*, quo opes denotari luculentus mihi teſtis eſt Bochartus (34). III. ἀπὸ τῶ מחלת *Machalath* tibiæ, tubæ, buccinæ &c. indeque natum nomen חמלת *Chamalath* per quandam literarum metathesin, quâ apud Hebræos, Græcoſque, & Abaſſenos nihil frequentius, nihil uſitatius (35). Peræque enim ſcriptitata ab eis videmus verba בלשאצר *Belſatzar* & בלאשצר *Belaſtzar*; המשנים *hammiſchnim*, & השמנים *haſchmenim*; התפלל *ithithapal*, & התפתל *ithithpathal*, פשר *paſar* & פרש *paras* &c. &c. καβόλα, & καλάβα, καμαλάδιον & καμαδόλαιον; κιύρα & κιρύσε, βαστάω & βασταιω, κυόι & κυάι, λαβών & βαλών; μῶρα & ὤμορ, βύρσα & βύρσε &c. aliaque permulta, quæ apud Philologos notata cuivis obvium eſt reperire.

Præterquamquod vel ab Hebraica voce מלך *Malac* regnavit, unde apud Hebræos מלך *Melec*, & apud Chaldæos מלכא *Malca* Rex; vel ab Arabicis קמעל *Kamala* dominari, & קמעאל *Kimâl* dominus Provinciæ, non diſſimili ratione CAMALÆ nomen poſſem derivare; cum duobus potiſſimum ex argumentis conſtet, illam fuiſſe Luſitanorum Regiam Urbem vel μητρόπολιν. I. Nam primo in fabuloſis ſcriptionibus, quos Galli *les Romanciers*, Itali vero *Romanzieri* adpellant. Arturi Regiam CAMALOT fuiſſe vocitatam teſtatur, eximio viro D. D. Sarraſin præmonente, Bochartus (36); qui & ipſe eiſdem Arabicis dictionibus, [velut Hebraicis, Chaldaicisque Thomas

(34) Bochartus *Chanaan* lib. 1 cap. 24. pag. 477.

(35) Exemple e S. Biblis, e Strabone, Ptolemæo, Diodoro, ceteriſque Geographis & Hiſtoricis plana nata congeſſerunt Grotius, Clericus, aliique ad utrumque Teſtamentum. Bochartus in Phaleg, Chanaan, & Hierozoico; Caſaubonus, Salmaſius, Thomas de Pinedo, Ezechiel Spanhemius, Weſſelingius, Voſſius, Scaliger, Newtonus, aliique ſcaentiſ.

(36) Bochartus *Chanaan* lib. 1 cap. 42. pag. 481. quamvis et id *Camalodunum* etymon det nobis Thomas Galeus ad Antonini *Itinerar. Britann.* pag. 121

mas de Pinedo (37) ad Minæorum Regiæ (38) *Baramalaci* vim eruendam] ad *Camaloduni* (39) Britannicæ Urbis interpretationem eleganter eſt uſus. Et quidni idem feramus judicium de Romanorum caſtro inter Somerſetenſes, quod ab accolis Britannis hodienum *Camalet* adpellatum notat (40) Galæus?

II. Deinde quis non videt, idem aperte innui ab ipſomet hodierno planiciei illius ampliſſimæ [ejuſdemne quam Lucullus Luſitanis monſtravit, & in qua Luſitanos ipſos internecione delevisse dicitur penes Appianum (41), quiſnam certò adfirmet, negetve?] nomine *Xacamal*, ſeu Phœnicum & Syrorum (42) more, *Xacamal*? quo *Camalæ Regnum* vel *Regem* denotari quovis pignore libentiſſimè contendam. Advertit quippe Reineſius (43) Perſas hodieque *Xa* Regem vocare, ut *Xa-Iſmael: Adel-Xa: Kermon-Xa*, ſeu *Kerman-ſchah*, Agathiæ hiſt. lib. 4. Κερμασαὰ. Cumque *X* in ſcripturis Hiſpanicis τῷ *ſchin* Ebræorum & Arabum æquivaleat, hinc ſubeat Turcas *Schah* Imperatorem nominare, & *Kamſchah* Alexandriæ & Bagdadi adpellatum templum auguſtius magnificentiuſque, quaſi diceretus *templum Regis* apud Elmacinum

(37) Thom. de Pinedo ad Stephanum περὶ πόλεων *in* μαμαλᾶκι *nota* 63. pag. 445.

(38) *Plinius* de Nat. lib. VI. cap. 28.

(39) Plinius de Nat. lib. II cap. 75 ubi Harduinus nota 3. pag. 229. advertit coloniam *Camalodunum* deductam, ex Tacito *Annal.* XIII 32. & XIV 31. & ex Grutero pag. 439. tamque hodie non *Colcheſtriam* ſed *Maldon* nominari. Verum utrumque improbat Thomas Galæus ut ſupra pag. 111—115 ubi prope hodiernum *Valdon* [illegible] illam deductam notat, Regeſque Trinobantum, loci numerum [illegible] atque uberum alia [illegible], [illegible] ſuum ibidem conditam.

(40) Thomas Galæus loco cit. pag. 93

(41) Appianus de Iberia.

(42) Exempla ſunt apud Bochartum in Chanaan lib. I. cap. 27 pag. 514. & cap. 28. pag. 513. Hinc Syros ſolentes ſ in *x* mutare, & vocali *a* carere, eorum [illegible] non [illegible] *ſolem* nec *a* [illegible] Græcorum, ſed *Χ* more ſic *a* obſcurum ſonare, poſt Druſium l. [illegible] Ebr. 33 recte notavit Reineſius de lingua Punica cap. 13 §. 6. & ſuperiorit Al. Symm. Matochius in ſchediaſm. de anti. Campan. nomine pag. 57.

(43) Reineſius loc. cit. in excerpt. §. 6. pag. 71.

num (44). Imo & Ouzelius (45) *Sarapidis* Ægyptii vocem *Principem Apidem* ſonare, argumento forſan non improbabili cenſebat. nam שר *Sar*, שור *Sur*, שרה *Sara* שלט *Salath*, שלט *Saleth*, aliaque his ſimilia derivata *principatum*, & *dominationem* indicant.

Sin autem iſthæc tibi minus adrideant, habeo profectò aliud, quod proferam, etymon, idque meâ quidem opinione, magis rei, qua de agitur, conſentaneum. Solebant quippe Phœnices, ut laudato ſæpius Bocharto (46) probatum, a fructibus, quibus locus quiſque abundabat, petitum nomen Urbibus ibi conditis imponere; ut *Jericho* a palmis, *Tappua* a malis, *Rimmon* a malis punicis, *Batnæ* a piſtaciis, *Luſitania* ab amygdalis. Quem morem omnes aliæ nationes imitatæ mihi videntur, ut exemplis *Ornithopolis*, *Laurenti*, *Pityuſæ*, *Siponti*, *Acanthopolis*, *Suſæ*, *Sidonis*, *Sidæ*, *Apia*, *Phœnicodes*, *Raphearmæ*, *Ophiodes*, *Opicorum*, *Sycarum*, *Cypariſſi*, *Elææ*, *Ewippes*, aliarumque Urbium vel Regionum, quas a fructuum, ceterarumque rerum animantium copiâ, nomen ſortitas, peculiari Diatribâ σὺν Θεῷ oſtendam.

Quod cum ita ſit, omnia jam faciliora Nam חמאה *Chemeah*, & חמאות *Chamaoth* butyrum nobis ſonat, quibus addito ל *lamed* deficiente [ut in (47) כנה *Chene*, & כלנה *Chelne*; בבל *Babel* & בלבל *Balbel* hebraicis; גגלתא *Gogoltha* & גלגלתא *Golgoltha* Syriacis; ששלתא *Soſiltha*, & שושלתא *Solſiltha*, קקלתא *Kekaltha*, & קלקלתא *Kilkaltha* Chaldaicis &c.] habebimus nomen Urbis חמלה *Chamala* ſeu *Camala*, a butyro ſcilicet effictum.

(44) Elmac. *Hiſtor Saracen.* lib. 1 cap. 7 & lib. 3 cap. 8.

(45) Ouzelius in not. ad Minucii Felicis *Octavium* cap. 27 pag. 281.

(46) Bochartus *Chanaan* lib. I cap. 35 pag. 619.

(47) Meminerunt hujus, & his ſimilia Bochartus in *Phaleg*, & *Chanaan*, & Grotius Comment. ad Ezechiel XXVII ℣. 21 pag. 457. & ad Matthæi XIV. ℣. 3. pag. 373.

ctum. Etenim quod ait Strabo (48) de Luſitanis generatim loquens, fuiſſe eis tantam butyri copiam, ut olei vice vulgò ſit functum, hoc ipſum de *Camaloceis Vicanis* ſeparatim intelligendum accipimus.

Noviſſima omnium ſed probabilior *Camalæ* urbis ſe mihi offert etymologia, ex eo nempe petita, quod è Phœnicis populis ſoli forſan *Gamalarum* (49) urbium coloni eum Luſitaniæ locum, de quo agitur, indepti occupaverint; ibidemque eam urbem condiderint, quam à nomine ſuarum matricum *Gamalam* adpellarint, quamque ſubinde Romani, quibus in barbara vocabula, æque ac Græcis, *quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas*, *Camalam* nominarint; quod ſicut exemplis, ita & ratione non caret. Scilicet literarum *C* & *G magnam communitatem* notavit Varro (50), & *συγγένειαν* Plutarchus (51), qui addit, Romanos nonniſi ſero τοῦ γ uſos, ætate nempe Carvilii Spurii [quinto ſextove ab Ur. Con. præterpropter labente ſeculo] cui literæ ejuſdem tribuitur inventio. Hinc apud illos natum [præter Cervorum (52) Gladii (53) & Cereris (54) voces] *Macelli* nomen, quod juxta Plutarchum [quicquid contra Varro (55), Feſtus Pompejus (56), Iſido-

(48) Strabo *cit. pag.* 107. V. 8. 9. ἀντ᾽ ἐλαίου ... [illegible]

(49) De *Gamala* duplici Phœnicum urbe, *Gamalæisque* populis vid. Jobus Ludolphus *Comment. ad Hiſt. Æthiop.* lib. 2. num XXII § 26. 27 28 pag 74.

(50) Varro *de Li. La.* lib. 5. cap. 9. pag. 48 V. 4. 5 *C*, & *G magnam habent communitatem*

(51) Plutarchus *in quæſt. Rom.* pag. 493. edit. Græc. Henr. Stephan 1572. [illegible]

(52) Varro *de Li. La.* lib. 4. cap. 20. pag. 18. V. 14. 15 *Cervi dicti, quod magna cornua gerunt, mutato G in C, ut in multis, quaſi gerui*

(53) Varro *de Li. La.* lib. 4. cap. 24. pag. 20. V. 38. *Gladium C in G commutato, a clade &c*

(54) *Ceres quaſi Geres a gerendis frugibus*, juxta Ciceronem *de Nat. Deor.* Lib. II § 67. & III & Varronem li 4. c 10 pag 12. V. 48. aut ab Ebræo [illegible] *Geres* [illegible], juxta Voſſium Patrem *de* [illegible] *cap.* VI. § 10 pag 38

(55) Varro *de Li. La.* lib. IV cap. 32. pag 24. V. 35 &c.

(56) Feſtus in *Macellum* pag. 307 V. 58. &c.

Iſidorus (57), aliique (58) diverſum excogitarint] ἀπὸ τῶν μεγιγων rectius *Magellum* dixiſſent. Hinc Deas nuptiis Præſidentes non *Gamelas* (59) ἀπὸ τοῦ γάμου, ut par erat, ſed *Camelas* (60) vocarunt. Hinc animalia, quæ *ſuo nomine Syriaco*, ut loquitur Varro (61), *in Latium venerunt*, CAMELI adpellata, cum potius *Gameli* nominari debuiſſent ἀπὸ τοῦ גמל *Gamal* Hebræorum, *Gemal* Arabum, & *Gamela* Chaldæorum, e quibus & Perſicæ urbis *Gaugamele* nomen ortum contendit Strabo (62), & *Gamalæ* Gaulaniticæ etymon graphicè deducit Joſephus (63). Hinc demum ἄλλα πολλά, notante ibidem Plutarcho (64), fluxerunt obſervatæ *commutatus* exempla, quæ, cui volupe ſit, videat apud Jobum Ludolphum (65), Gronovium (66), Lipſium (67), ceteroſque eruditos, ex Terentio Scauro, Feſto, Auſonio, Victorino, aliiſque monumentis collecta.

Quod vero e *Camala* vicanos fecerint *Camaleos*, vel Ca-

(57) Iſidorus Orig lib XV cap. [illegible] pag [illegible] edit.

(58) Grotius in *Epiſt I ad Corinth* X ℣. 25. Tom 3 pag. 803.

(59) Γαμηλιοι Jup[illegible], de quo Selden in *Uxor Hebr.* [illegible] lib. 2. cap. [illegible] Tom 3 pag 631 Edit Londin. ann. 1726 ex D Hieronymo *adver Jovinian* lib I Γαμηλία *nuptiales ſponſoſ* [illegible] Budæum. Γαμηλια *nuptiale feſtum*, [illegible] [illegible] Θεοι &c. de quibus vid Etymologici magni Auctor in voc. γαμηλιοι, γαμηλια, γαμηλιον &c. pag [illegible] ℣ [illegible] pag. [illegible] Græc. edit Sylburgii ann. 1594. Pollux Onomaſtic. lib. 1 cap 1. §. 23. pag [illegible] ℣ 10 lib 3 cap. 3 §. 4. pag. 197 ℣ 16 & pag. 198 ℣ 19 16 [illegible] W Seberi [illegible] notis pag. 49—51 Et Dionyſii Halic Tom II pag 34—35

(60) *Camelis virginibus ſupplicare nupturæ ſolitæ erant* Feſtus in *Camelis* pag. 263 [illegible] Gothofredus pag 1711.

(61) Varro de L. L. lib. 4. cap. 20. pag 18 ℣ 24. *Camelus ſuo nomine Syriaco* (nempe גמל *gamal*) *in Latium venit.* Quod adprobat Rugaltius in notis ad Artemidorum pag. 6 Vid. Bochartus Hierozoicon &c.

(62) Strabo lib. XVI pag. 507 ℣ 45 &c. ΓΑΥΓΑΜΗΛΑ [illegible] μεθερμηνευθεν γαρ εστι ΚΑΜΗΛΟΥ ΟΙΚΟΣ [illegible] &c quicquid de priore vocis parte dubitet ad loc. Caſaubonus pag [illegible] b. A. 2.

(63) Joſephus [illegible] lib. 4. cap. 2. p. 863

(64) Plutarchus *ut ſupra* (51) & Varro [illegible] 52 54 [illegible] 55 61)

(65) Job. Ludolphus *Comm. ad hiſtoria Æth* [illegible] I. 13 CXI 16 pag 212.

(66) Gronovius in *Notis ad Plinii hiſtor Nat.* XXII cap. 2. pag. 39. edit Lugdun. ann 1669

(67) Lipſius *de recta pronuntiatione latinæ linguæ* cap. 13 ex Terentio Scauro, Feſto, Auſonio, Victorino &c.

Camalenſes, *Camaloceos*, *Camalocenſes* &c. hoc eâdem factum credimus analogiâ, quâ e Roma *Romani*, *Romanici*, *Romanienſes*, e Campania *Campani*, & *Campanici*, ex Hiſpania *Hiſpani*, *Hiſpanici*, & *Hiſpanienſes*, è Chalcide *Chalcidici* & *Chalcidenſes*, è Cadurco *Caduci*, & *Cadurcenſes*, e Syria *Syri* & *Syrienſes*, e Corintho *Corinthii*, *Corinthiaci*, & *Corinthienſes*, e Sicilia *Siculi*, & *Sicilienſes*; ex Athenis *Attici*, *Athenietæ*, & *Athenienſes*; e Solis *Solii*, & *Solenſes*; & ex aliis urbibus regionibuſque facti *Dinienſes*, *Sanicienſes*, *Cemelenanſes*, *Venſicienſes* &c. quorum mentio apud Feſtum, Plautum, Ovidium, Pſeudo-Antoninum, alioſque a Latinis Lexicographis laudatos, reperitur inſtituta; ut taceam ſimiles κτητικὰς καὶ ἐθνικὰς Græcorum terminationes, quas vel lippi tonſoreſque apud Stephanum (68), ſingulis quibuſque vocibus, inſpexerunt.

Quod demum ad *Gamalæos* Phœnices adtinet, conjectura noſtra ne latum quidem unguem a veritate abludere videbitur quibuſcunque Geographos, hiſtoricoſque conſulentibus, penes quos & Babyloniorum colonorum, qui in Ægypto *Babylonem* (69) excitarunt, & *Trojæ* (70) ibidem a Troadibus advenis exædificatæ; & Italiæ partis *Magnæ Græciæ* (71) nomine a Græcis indigitatæ; & Mileſiorum, Pyliorum, Orchomeniorum, Phocenſium, Rheginorum, Melibæenſium, Cnidiorum, Chalcidenſium, Phrygum, Lelegum, Carum, Meſſeniorum, Morgetum, Pelaſgorum, Hyantum, aliorumque colonorum aliò terrarum

(68) Exemplum è milleſis unum ſit in voce γῆς pag. 720 ubi τὸ κτητικὸν γηικός, ὡς τὸ Ῥόδιος Ῥοδιακός, ἐθνικὸν Ξαμιακός &c.

Latina libenter miſſa facimus, cum vel ſolus Varro *de L. La.* lib. VII. cap. 9 18 34 43. &c oſtendat in talibus nominibus nullam quarundam eſſe analogiam ſed potius diſſimilitudinem & anomaliam, plurimiſque hoc evincat exemplis.

(69) Strabo lib. XVII pag. 555 & Joſephus Ἀρχαι. lib. II cap. 15 pag. 65.

(70) Strabo lib. XVII pag. 55?

(71) Strabo lib. VI pag. 175 & ibi Caſaubon. *Not.* pag. 99.

rum adpulſorum, urbiumque cognominum innumera (72) τρὶς Δωνων recitantur exempla.

Ceterum e truncatis verbis IN........ vel pro IN-PENSIS &c. vel pro INTERRANIENSES &c. redditis; primum ſexcentis aliis monumentis apud Goltzium, Fabrettum, Gruterum, alioſque Antiquariæ artis παῖδας comprobatur, alterum exemplo nititur inſcriptionis cujuſdam, quam ex eodem Grutero (73) Illuſtris Ezechiel Spanhemius (74) adtulit, quamque nos hic integram eo lubentius exſcribimus, quò Luſitanicis rebus clarior lux accedat.

IMP. CAESARI DIVI NERVAE
F. NERVAE TRAIANO
MVNICIPIA
PROVINCIAE
LVSITANIAE STIPE
CONLATA, QVAE OPVS
PONTIS PERFECERVNT
ICAEDITANI
LANCIENSES OPPIDANI
TALORI
INTERRANIENSES
COLARNI
LANCIENSES TRANSCVDANI
ARAVI
MEIDVBRIGENSES
ARABRIGENSES
BANIENSES
PAESVRES.

ubi

(72) Apud Ariſtotelem, Heraclidem, Strabonem, Diodorum, Dionyſium Halicarnaſſeum, Herodotum, Stephanum, Livium, Plinium, Feſtum, &c.

(73) Gruterus pag. CXLI num. 3

(74) Ezechiel Spanhemius in Orb. Rom. exercitat I par II cap. XVIII. pag. 298.

ubi notandum *Interauſenſes*, non *Interranienſes* in ſtipendiariorum Luſitaniæ municipiorum cenſum a Plinio (75) cogi. Quicquid tamen de hoc ſit judicandum, nihil ad rem illud autem non prætermittendum *Interranienſium* ſive *Interauſenſium* nomina eſſe mere Romana, ut patet tum ex collatione eorum cum Latinis *Interamna* Urbe Umbriæ, *Interamna* altera oppido Volſcorum in Latio, *Interamnia* Urbe Samnitum, aliiſque nonnullis ſimili ſono præditis, vel quia forſan *inter duos amnes* eſſent conditæ, vel alia, quæ nos lateat, de cauſa; tùm potiſſimum ex eo, quod Romani Luſitanorum potiti pleraſque eorum urbes, everſis (76) muris, in pagos mutaſſe, nonnullas etiam in melius reſtituiſſe a Strabone (77) perhibeantur. Unde veriſimiliter de CAMALA & INTERAMNO argui poſſe ſuſpicamur, illam ſub Phœnicum Græcorumque imperio urbem, a Romanis poſtmodum in deterius redactam, hunc vero obſcurum non ita pridem pagum, Romanorum conſilio, urbis formâ, municipali jure, novoque *Interamnis* nomine, prout omnium nationum (78) moris, donatum ἀλλὰ πάντα Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται (79).

Atque hæc mihi dicenda ſuppetebant ad epigrammatis Camaloceſ explicationem, in qua inveſtiganda, me ipſiſſimam viam tenuiſſe profiteor, quam præiverunt Grotius,

(75) Plinius Nat. hiſt. lib. IV. cap. 22.

(76) M. Portium Catonem, effeciſſe, ut omnium Hiſpanicarum urbium, quæ intra Bætin eſſent, muri uno die dejicerentur, e Plinio, Appiano, Plutarcho, & Frontino probat Caſaubonus ad Strabon. pag. 108. n. D. E.

(77) Strabo lib. III. pag. 106. ℣ 27-29. ubi de Luſitanis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Quod & de Samnitum urbibus notavit pag. 172. ℣ 47. 48. & de aliis paſſim. Quidquid humanæ felicitatis interitum tradunt generaliter Herodotus lib. I. cap. 5.

(78) Ut probatum (præter Grotium aliosque) a Bocharto *in reſponſione ad Salmaſianas objectiones poſt Chanaan* pag. 829.

(79) Homer. Odyſſ. I. ℣ 400. & Odyſſ. XVI. ℣ 129.

tius, Bochartus, Huetius, Nevvtonius, Clericus, aliique primi ſubſellii ſcriptores. Reliquum eſt ut quanti apud alios ea ſint valitura, admirabilis & penitior tua critice æſtimet: quod enim ad me adtinet, pro certo habeo, juxta auream illam ſapientiſſimi Solonis vocem, (80) πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπὸν, cum [ut olim Theognis (81), & nuper magnus inquiebat Scaliger (82)] nec Deus ipſe ſemper omnibus placeat.

οὐδεὶς ἀνθρώπων οὔτ' ἔσσεται, οὔτε πέφυκεν,
ὅστις πᾶσιν ἁδὼν δύσεται εἰς Ἀΐδεω.
οὐδὲ γὰρ ὃς θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει,
Ζεὺς Κρονίδης θνητοῖς πᾶσιν ἁδεῖν δύναται.

Itaque ſi hæc tanti non ſint ut adprobationem tuam mereantur, tardipedi Deo uſtulanda præbeas, ingenue te rogo: Sin contra, ut ſperare mihi blandirique juvat, hoc unum a tua humanitate etiam atque etiam peto, ut eâ, qua me dignaris benignitate, CAROLI REGIS OPTIMI MAXIMI oculis animoque munuſculum hoc ita ſiſtas, ut NUMINIS ejus gratiam & præſentiam mihi concilies. Et quandoquidem Juſtinianus Imperator teſtatur (83), *Principis eſſe maxima, mediocria, & parvula curare*, data ſpeciminis hujus occaſione, Pliniani (84) illius effati vim, tuo munere, experiri tandem mihi liceat, *quàm pulcrum ſit graviſſimi Principis judicium in minoribus* (85) *etiam rebus conſequi*. Quod poſſum interim

(80) Apud Plutarchum *in vita Solonis* pag. 91 D. E.
(81) Theognis [illegible] pag. [illegible] quam Theognis ipſe a Solone ſumſiſſe videtur; Nam Solon fuit Archon Athenis Olymp. XLVI 3 Theognis vero circa Olymp. LVIII Eruditiſſ. probatur apud Fabricium *Biblioth. Græc.* lib. II cap. XI § 1 pag. 432. 434. & § 7 not. b. pag. 441. & cap. XIV § 16 pag. 526. not.* ubi & aliquot Solonis ſententias in illius Poetæ gnomis legi obſervat.
(82) Scaliger *Epiſtol.* l. 3 apud Brianum Walton *de linguis Oriental.* § 34.
(83) Juſtinian. *Novell.* XV in *Epilogo*
(84) Plinius lib. IV epiſt. 8 pag. 94.
(85) Eſt quidem hoc *mediocre ſi ſpecies* [illegible], ut de Trajani commatione Plinius lib. VI epiſt. 31 pag. 174.

rim, Deum enixè veneror, ut Te plus uno ſeculo incolumen huic Regno præſtet & ſervet. Vive, valeque.

Neapoli, XII. Kal. Jul. Ann. ab Orbe Reparato MDCCLII.

SS 23 · 405